

Jöllinger
9568

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
M V T A T I O N E
RELIGIONIS P V B L I C A E.

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O
C A R O L O A V G V S T I O

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALLAE, LANDGRAVIO
THVRINGIAE, MARCHIONE MISNIAE
AT MONAC.

REL. REL.
QVO

UNIVERS.
MONAC.


T O C V M S X B X D A T V M
IN ORDINE THEOLOGORVM
RITE TVERETVR

AD D. XVI AVGVSTI A. C. MDCCCLXXXIII.

IN AVDITORIO THEOLOGICO
DEFENDET

JOHANNES CHRISTOPHORVS DOEDERLEIN
THEOL. D. ET P. P.

I E N A E
LITTERIS FICKELSCHERRII STRANCKMANNIANIS.



AD BIBL.
UNIVERS.
MONAC.



Cum omnes omnino res humanae vicissitudinibus
agantur ac veritas, quamquam per se constans
atque perennis, per ingeniorum multorum elab-
orationes et inventa subinde nova prodeat spe-
cie et ornetur; tum vero etiam veritatis pars ea,
quae sanctissima omnium videtur et beatissima, rerum divi-
narum scientia, magnas identidem mutationes experta est.
Cuius rei ut testimonia undique extant in temporum omni-
um cunctarumque gentium, quarum monumenta supersunt,
historiis, ita multiplex causa adeoque necessitas ostendi potest.
Etenim rude hominum lac tenue ingenium, quod sensuum
affectione et iudicio regitur, minime capax fuit purioris in-
stitu-

A

MAX. BIBL.
MUNICHEN

stitutionis, cui vel intelligendae vel sine corruptelis doctrine, admisisti vilibus decretis, ad posteros transferendae impar reperiretur: neque in inchoatis et adumbratis notitiis acquiesci potuit vel propter numinis maiestatem, quae se prodere ultius subinde voluit, vel per cetera hominum studia. Illi quidem, quamvis eandem nulla usquam ratione capiat mens humana, tamen haud bene consultum existimem, si in primis elementis notitiarum de rebus divinis haereretur, melius contra ac dignius numine, ubi nova indies incrementa capiat religio ac illucescat. Hominum autem studia cum et in artium disciplinis et in institutis vitae expoliendis atque amplificandis multum ac feliciter laboraverint, mirum esset ac nefas, si in religione noluissent sese e primis velut angustiis eripere et veteribus elementis novam institutionem praepondere. Quorundam enim tot novi fontes felicitatis humanae animi et literarum cultura aperirentur, quorundam uberrima et tantis tamque inexhaustis huius orbis thesauris ad bene vivendum materia conquisita esset et deponpta, nisi ex iis quidquam ad omnis felicitatis sedem beatissimam, religionem ipsam derivaretur? Ipsa quidem barbaries est et barbarie origo, ut in artibus quibusque et doctrinis, ita in religionis quoque institutione fines certos ponere, ultra quos non licet nec progredi nec cogitare, et tardorum ingeniorum, acquiescere usitatis, metuere mutationem, incrementa adspersioni et invidere. Optare autem lucem maiorem, et, quaeunque obtigerit cognitio utilis, eandem qualicunque studio augere, ac laudare et bene utendo commendare, hoc piae mentis est, quae beneficia divina pro magnitudine sua estimare didicit neque optimum fructum vel religioni ipsi vel humano generi invidet.

Ac videmus numen ipsum pro temporum diversitate hominum que indigentias et captu mutationem religioni induxisse, non modo institutis externis et ritibus, verum etiam decretis. Alia enim detulit ad homines infantes et rudes εν καὶ αγνοεῖς,

αγνοεῖς, Act. 17, 30. alia Iesus docuit εν καὶ αγνοεῖς διαρροεῖς Ebr. 9, 10. emendatione et religiosae doctrinae perfectione, qui vel ipse nonnulla uberioris magisque dilucide explicanda institutioni Spiritus S. reliquit: quare καὶ αγνοεῖς διαρροεῖς, mutata in melius doctrinae publicae formam, constituisse dicitur. Postquam enim esset exculta prophetarum h. e. doctorum et eruditorum studiis atque scientiarum incrementis veritas divina, robur novum novumque decus accepit per Christi, doctroris summi, doctrinam, novumque sistema priscam vel tenuitatem ac paupertatem explevit vel superstitionem reprobavit vel incertitudinem profugavit atque tantam vim ostendit, ut doctrina melior, h. e. hominum votis et indigentias ac ingenii magis consentanea nec commonstrari nec etiam cogitari possit.

Sed post hanc tantam tamque insignem et beatam mutationem religionis non est existimandum omnia sic esse explerta atque statuta, ut omnis singula curatus elaborandi atque perficiendi vel opportunitas desit vel diligentia reprimatur: non quo sperem systema religionis Christiano nobilius aptiusque, cuius et puritatem non posse turbari nova accessione, nec auctoritatem divinam, nisi cum orbe terrarum interitram esse, persuadeor: sed quod dubitem, utrum doctrinæ, quam Christus ipse publice tradidit, capitibus circumscribi omnis ingeniorum diligentia et veritatis elaboratio prohiberibeat. Quod mihi non modo a consilio divino humanaque natura videtur alienum, verum ipsa historia refelli. Atque Deus per vim magnis et praeclaris ingenii insitam impellit homines, ut veritatis sacrae evehendae studium suscipiantur et curamque capefferent, neque invidet omnino incrementa scientiae omnium sanctissimae, cuius et cognitio insigne decus praefat menti humanae, et fructus latissime patet: neque certe retardari in hoc campo studia vult, cum in reliquis doctrinis incitentur et progrediantur. Neque humana natura vult, animalium more eis finibus circumdari, quos nec posset unquam

unquam nec conaretur excedere, sed vim suam adspirare ad maiora studiis mutandi atque perficiendi sentit. Historiae autem palam loquuntur, quantum iactis primis religionis fundamentis laborarint viri pii, εποικοδομεῖν τῷ Θεῷ εἰς τὸν πόλεμον; quantum tentatum sit ab ingeniis, magnis praesertim et acribus, in explicandis singulis partibus et amplificandis, rationis et scientiarum beneficio; et quomodo non tantum conservari integre voluerint (quamquam et hoc artis est haud vulgaris) verum etiam augeri notitias ab Apostolis acceptas, latentem in illis capitibus doctrinam evolvi, et universarum notionum formas et species explicari.

Sed in hac diligentia, in his accessionibus, vana aut metus quorundam aut criminationis species est, per invidiam mendicentium, nova dogmata temere cudi Christumque abiici impie eoque deturbato magnum rationis, quod vocant, idolum exstrui atque ornari. Quomodo enim, quaeso, fundamenta religionis Chr. everti dicam metuamve, cum iis materia apta et ex eius quasi thesauris depromta superstruitur? Quomodo suspecta esse possit veritas, e materia religionis Christianae noviter efformata? quomodo periclitari Evangelium existimemus vel clamemus, cum ex illius radicibus superiores nascuntur? Ac video inanem esse timorem illum, sive is invidiosorum hominum sit, qui plerique sunt, sive imprudentum et meticulosorum, cum, quanto illustrior veritas prodit, tanto magis honori religionis Christianae et consilio consulitur, ab iis, qui omnia ad Christiani nominis decus referunt. Verum ea sive consuetudo privatorum hominum, doctorum maxime et ministrorum ecclesiae, sive officiorum observatione minime fas est singulorum ingeniis contineri, sed ad publicam quoque religionem communemque utilitatem procedere consentaneum videtur, ut ex Παρεγγέλματι exposita magis etiam innotescat et proficit. Id quidem si Iesum audiamus Matth. 15. 16. auctoritate eius iubetur; si fata doctrinarum persequa-

sequamur, antiquissimo usu defenditur. Semper enim evenit, ut si quis forte doctorum meditationis et diligentiae ac sapientiae, quam didicerat, novum aliquem fructum protulisset, eundem non dubitaret communicare cum suis et, quam ipse forsitan fovendo conceperat veritatem, eam publice proferret et Ecclesiae traderet ad tenendum, adoptandum, et conservandum. Unde publicae religionis natales semper fere quaerendi sunt in privatorum hominum ingeniis, auctoribus scholarum sapientia et animi studiis, quae res ad religionis efformationem plurimum valere etiamnum valent.

Ac *publicam* dum dicimus *religionem*, non modo ea doctrinae Christianae capita intelligimus, quae sunt legum praescriptis et symbolorum auctoritate confirmata (quanquam his propriis et praecipue definitur); sed ea quoque, quae traditione continua temporisque praescriptione auctoritatem consecuta sunt vel etiam usu invaluere. Vtrumque enim genus, vel illorum quae legum sanctione, vel horum, quae quadam hominum opinione et vetustatis commendatione, quae et ipsas interdum leges praevalent, habentur, altius insidens animis hominum, ubi contra quid moliri tentaveris, nec periculo et difficultate, nec etiam reprehensione multitudinis caret. Nam et usus praescribit et novitas omnis suspecta videtur.

In his igitur utrum mutatio induci possit debeatve, et quanam lege tentari, cum disputare instituimus, haud verebimur, ne quid alienum proferamus vel a studiis nostris, vel a temporis rationibus, quo alios audimus vel querelis plurimis deplorare fata ecclesiae, quam novitate corrumpi et fide, iure, veritate sua spoliari clamat, nullam aliam ob causam, quam propter capita quaedam doctrinae paululum immutata; vel acerbius invehere in hominum novorum temeritatem atque impietatem, quae ne publicis quidem decretis parcat et sanctissimae religioni, tot ingeniis provinciisque et seculis adprobatae tantorumque testium fide, confessione, sanguine confirmatae, et per legum denique civilium et librorum ecclesiastico-
corum

corum auctoritatem inviolabili, sacrilega manu vim inserre, et pro ratis opinionibus privatas sententias commendare haud erubescant; alios autem levitate uti et protervia in mutationibus plurimis et gravibus inducendis nec singulas partes melius efformare, sed universum sistema concutere, unde multa mala nascuntur. Horum igitur de studiis et ausibus, illorum de querelis et reprehensione ut iudicium ferri possit rectum et liberum atque teneatur, quonam temperamento utendum sit, vel in iudicio ferendo vel moliendo res novas, brevi commentatione, quae nobis apta atque utilia videntur, proferemus: non ut iudices et arbitri, quorum quidem nec ius nec facultatem nobis tribuimus, sed more nostro, h. e. eo consilio, ut velut materiam iudicii iis porrigamus, qui cupiant sententiam suam in his partium dissidiis interponere.

Quandoquidem *mutatio religionis*, quam diximus, publicae multiplici ratione nec una ex causa tentari potest et inducta per varias occasiones temporumque periodos fuit: contentaneum fit, *triplex mutationis genus* describere, *primum*, quod frequentissimum videtur, fit novae veritatis *adiunctione*, *alterum definitione* ambiguae et controversae, tertium *detractio ne*, abiecit veteribus et usitatis sententiis. De singulis igitur quid statui debeat, quibus causis commendetur, dispiciemus.

Ac *primum* simplicitati religionis Christianae divulgatae olim per Iesum ac Apostolos et conservatae in Ecclesiae infantia accessit diligentia et subtilitas doctorum et scholarum, quae veterem sententiam explicuit, sparsa veluti membra systematis composuit, sapientiae, quam profitebantur et tenue, humanae decreta Christianis immiscauit, in modum et causas rerum inquisivit eaque, quae scholis apta et perspicua fuerunt, ad populum quoque, sive perspicuitatis causa et plenitudinis, ut *Tertullianus* loquitur, sive per usurpationem auctoritatis traduxit. Quidam ad ostentationem sapientiae, quod virtutum multis inimicum est; alii per iudicii tenuitatem, quae non

non vidit, eruditorum decreta non esse ad captum uniuscuiusque hominis comparata et supellestilem, quae privatas domus ornat, ubi ad communes usus exponatur, aut deus sum amittere, aut abusibus corrumphi; quidam denique ab haereticorum decretis occasionem novandi aliquid in doctrina publica defumserunt, ne pravarum opinionum periculis ecclesia, quam regebant, submergeretur. His igitur studia a tenuibus paucorum capitum et simplicis veritatis initii doctrinae publicae materia per seculi cuiusvis decursum increvit; his ignorata olim ipsis quoque doctoribus veritas in ecclesiam inventa molestam identidem religionem effecit; his symbolorum antiqua et perspicua brevitas latius subinde ducta fuit. Itaque gnosticarum familiarum opinones, Arianorum decreta, Manichaeorum impietas, lites Macedoniae, Pelagii studia, Nestorii denique et Eutychetis dicta occasionem dedere, privatorum, doctorum et episcoporum, antitheses publica auctoritate consecrandi, et inauditis olim doctrinis veterem traditionem onerandi; quod, quia satis constat, e veteribus historiarum monumentis comprobare, hoc loco non est necesse. Hi igitur, quodsi multa e tenebris protulissent, quae facerent ad religionis praestantiam accuratius demonstrandam, ad cognitionem naminis et beneficiorum Christi amplificandam, ad prosternendam et praecavendam superstitionis et sceleris tyrannidem, ad pietatis, quae morum conformatio recta continetur, disciplinam; si symbolorum fide ratas habere et propagare voluissent eas doctrinas, quas sibi coetibusque Christianis vel ob utilitatem certam et insignem vel antiquitatis Apostolicae reverentia aegre paterentur a violentis ingenii cripis; si doctoribus tantum formandis et constringendis, ne quis rerum gravium et utilium infectia et perverbis interpretationibus peccet vel iugum privatuarum opinionum imponat Ecclesiis, decreta virtuti evehendae apta scripissent: quis non laudaverit piam doctorum curam et de his episcoporum studiis congratularetur coetibus Christianis? Iam autem in his institutis, ut sunt hominum conamina et consilia

confilia, duplex plerumque vitium committi intelligimus et dolamus: tum ipsis ausibus, cum formulae ad aures et confessionem plebis perferuntur, quarum in institutione populi Christiani utilitas spectata, nendum veritatis species, aut nulla est aut peregrina; tum confilio, quando quidem ipsos coetus studuerunt in societatem privati sive erroris sive odii articulis variis pertrahere: quorum alterum veritati officit plurimum, alterum etiam gravissima mala penerit. Quis non videt, cum v. c. dogma de processione Sp. S. e filio irrepsisset in symbola, lucis nihil, nihil solatii illatum esse in religionis gravissimae doctrinam, dissensionum autem et rixarum matteriam plurimam, quae etiam tractatur interdum? Quis non optet, haec et similia abesse a fide, quae ne intelligi quidem et explicari a doctrinibus possunt, a rudioribus etiam male capiuntur et pervertuntur?

Multo autem latius patet *alterum* mutationis genus, quod definitione doctrinae ambiguæ et controversæ. Saepe quod prior non vidit aetas, posterior vidit; quod superior, secura erroris, haud verita est dicere, in eo sequens errorem latentem detexit atque allevamentum seu remedium adhibuit; multorum denique oculi et studia penetrarunt, quo minus visu et mente pertingere non potuit, nec etiam voluit. Sed hoc genus varium est et multiplex tum causis et consiliis, tum effectu et utilitate. Ac prium videmus postquam pulsibri insectia et barbaries subvenit, neglectum et in alienam potestatem detortum ac immutatum verborum significatum novis ideis et formis occasionem dedisse. Quod commune accidit tum iis, qui formulas, quarum explicatio ex hebraica lingua petenda erat, e graeca interpretarentur, tum iis, qui a versione latina et glossariis penderent, vel etymologicas rationes sequerentur vel super verbis philosophari inciperent, ut sit in magistris, linguarum subsidia averfantibus. Id vitium multas et interpretationes et doctrinas procudit, quae

quae receptae sunt et probatae adeoque inoleverunt, ut religio publica inde ab Augustino, qui princeps fuit, opinonibus, explicationibus, distinctionibus novis turbida in ecclesiis, occidentales maxime, promanaverit. Hoc vitio arrogantis definitum est, extra ecclesiam neminem salvare, cum σωτηριαν de beatitudine aeterna interpretarentur; hoc vitio praescriptus est descensus Christi ad inferos, cum αδην inciperent de loco suppliciorum post mortem explicare; hoc vitio Lutherus videtur, πίστη fide promissionibus divinis habita absolvit, tenuisse. Sed hoc valde inimicum fuit rei Christianae, propter speciem auctoritatis sacrarum literarum, qua dogmata prolata ornari potuere, fallendis ingeniis rudioribus et pigris valde aptam, sed veritati parum proficiam. Nam et veram doctrinam tegit ac occultat, et falsam speciosa fraude commendat, cum ab ipsa religione prognata videatur. Interdum vanitas philosophicae interpretationis novas definitiones induxit, sive arreptis e scholarum confuetudine vocum notionibus et in sacram scripturam translatis, cum essent a mente scriptoris sacri alienissimae, sive cum philosophari subtiliter super formulæ biblicis inciperent. In illo genere illustre præ ceteris exemplum supereft in universa disputatione de natura Christi, quem Iohannes λογον nomine, obscura ex causa, insignivit. Cui declarando cum patres notionem λογον e libris Platonis acceptam coepissent adhibere, manifestum est, multas definitiones de λογῳ inventas esse in Ecclesiis, a Iohannis confilio alienas, ignotas primis doctoribus et coetibus, subsequentibus, sublata libertate, etiam post reiecta sapientiae Platonicae studia, publica auctoritate, nendum minis et violentia praescriptas. Ex hoc genere inter plurima alia fluxit modus describendæ atque tradendæ redēctionis Christi, etiam in ecclesia orthodoxa diversus et varius. Nam antiquorum doctorum agmen hæsit in etymo vocis απολυτηριωσεως, quae fit redēctionis captivis, unde publica doctrina invaluit de liberatis e servitute Diaboli hominibus soluto pretio sanguinis Christi: sed hoc com-

mentum cessit aliis, paulo melioribus, sed per etymologicas rationes ex eadem voce excussis, cum λυτρον a Christo iponsore pro genere humano, tanquam debitore, Deo solutum fuisse docerent, in quod ante scholasticorum tempora vix quisquam patrum inclinavit, cf. *instit. nostras theol. Chr. T. II.* §. 268. Quomodo igitur nostrae aetati invideamus, si, omis- sis philosophicis definitionibus et allegoriarum umbris, subtilioribus et iustis de modo redemtionis I. C. definitionibus h. e. ductis e bene cognita loquendi consuetudine in institutione Christiana vti cupiat? Praetereo reliqua exempla, sere innumera, cum ex fundo antiquae et purioris doctrinae Christianae per inscitiam et barbariem doctorum novi errores prolati fuerunt et publica auctoritate per temporum successionem hominumque torporem consecrati, veluti transubstantiationis commentum e voce μεταβολης, quia graeci ute- rentur, ne quis κονων αετον accipere statuat in sacra coena; praedestinationis dira decreta e corrupto vocabuli περιστρου et εκλογης usi et al. de quibus C. C. Tittmannus, V. C. singulari libello commode et eleganter exposuit. Ac dum philosophiam commemoramus, non licet praeterire, multas de- finitiones novas arcessi e philosophiae partibus, quibus do- ctores operam dedere. His igitur qui a teneris unguiculis doctrinam philosophicam imbiberant, et adhuc, postquam Christianam disciplinam professi sunt, in eadem se oblecta- runt et exercuerunt, difficile fuit, illam prorsus abiicere et non amplius, quae dudum percepérant, reducere ad memo- riā, quae in scholis tradiderant, pro concione commemo- rare. Nec attinet exponere, quana multa e Platonicis decre- tis per priora quidem secula, post ex Aristotele in religio- nē transierint, cuius rei nec noxas negaverim nec etiam vtilitatem, vt solent plerique post Mosheimium, fas est ne- gligere. Frequentius autem studia configendi haereticam pravitatem, et avertendi pericula haereticarum opinionum communemque et publicam doctrinam, Episcopi forsitan unius auctoritate traditam ac constitutam, s. orthodoxiam tuendi in

Eccle-

Ecclesia novas definitiones comminisci et introducere tenta- runt. Nunquam fere ortae sunt haereses, quin de dogma- tibus obscuris sententia certa, de ambiguis definita, de sim- plicibus et liberis subtilior pronuntiaretur, unde vere *Augu- stinus Confess. L. 7. c. 25.* improbatio haereticorum facit emi- nere, quid ecclesia sentiat et quid habeat sana doctrina. Ante Arii dogma vocabulum του ομοευσιου et dissertationes περι της εστιας και υποστασεως non erant divulgatae: nihil decrevit Nicaena autoritas et prudentia de duabus Christi naturis, at novam legem tulit chalcedonensis Synodus, circumcisa su- periorum temporum libertate. Sed nec ea quidquam de communicatione idiomatum stabilire tentavit, quod multis retro seculis in Saxonia stabilitum est, ut e latibulis suis ex- traherentur Calvini fautores et ad incitas redigerentur. Quandocunque enim eruperunt novae opiniones, coacti sunt doctores ad eas debellandas educere omnes suas copias et quaecunque stratagemata proferre, quibus funditus deleri illas posse et ab Ecclesiis averti confidebant, itaque multa eruere, quae alias nunquam attigissent. Nempe nova im- pugnantum doctrinam Christianam molimina non semper licet antiquis castris amoliri; novae licentiae nova frēna pa- rari debent. Denique adversariorum criminationes novarum definitionum materiam obtulerunt purioris doctrinae custodi- bus ac defensoribus, quibus aut crimem avertendum fuit aut abusus veritatis, quam profitebantur, praecaveri. Hanc ob causam, non est obscurum vel dubium, autores Augustanae confessionis et Apologiae multa protulisse, ne cum sectis Ana- baptistarum consentire viderentur atque ut obviam irent possi- mis theologorum Pontificiorum artibus, qui non plebit tantum, sed etiam principibus callide persuadere conarentur, omnia per- riculosissimarum opinionum monstra inter Protestantes edi ac fovari, omnem fidem abiici, negari Deum, respui magistra- tus et familia. Hanc ob causam equidem nullus dubito, quin Melanchthon vir eruditione et prudentia animique integritate nemini tum secundus, consilio pio ausus sit doctrinam Pro- testa-

B 2

testariorum in Augustana Conf. Art. X. immutatis formulis declarare, et explicatius, ut ipse in Colloquio Wormatiensi fatetur, exponere non quo Zwinglio vel Calvinus faveret, quod res ipsa refellit, sed quod videret, Romanos ita sentire de hac confessione, ut concordes secum Lutherum et Witebergenenses putarent, nolletque transubstantiationis Pontificiae commentum suffragio A. C. ulla specie muniri de quo nuper, I. A. Cramerus (*Einige Nebenarbeiten*) et Strobelius (*Apologie Mel.*) erudite egere. In his igitur variationibus si quid infolens et mirum occurrit nonnullis, nae eos rerum humana- rum arbitros parum gnarus iustosque putaverim, quippe oblitos, non posse ab ingenio humano subsisti in tenuitate superiorum temporum et ex artium ac scientiarum efformatione quantumcunque lucrum in ipsam religionem pie derivari; si, quod Buffeti calliditas tentavit, inconstantiae criminemur; nos quidem laudabimus felicitatem et ingeniorum, quae lu- cem post tenebras vidit et incertos limites, quales barbaries et licentia adamavit, certis finibus constituit, et temporum, veritatis claritate illustrium; si discordiarum et rixarum ma- teriam videmus obiici, est quidem quod doleamus de ecclesiis cupiditate et arrogantia Episcoporum et doctorum quasi lace- ratis, sed laudamus in aliis concordiae studia et consilium, com- ponendi animos atque ab errore revocandi; si a veritate ad er- rorem delabi alios, alios tyrannide cernimus uti, nos ab utraque cavebimus; si quis antiquas definitiones nostra aetate ociosas et inutiles ducet, tamen ut quae perutiles ecclesiae quondam fuerint, venerabitur, illud solum certo statuens, quicmadmo- dum et res est, nos ecclesias plenius, quam ante, edocetas et pacatas nunquam fuisse a maioribus nostris accepturos, si disputationes non fuissent his definitionibus dirematae; deinde restare adhuc in iisdem docendi methodum, quae si for- san cogeremur in causa non valde dissimili pronuntiare, iungo cum religione, quin etiam omitti et abiici possint.

Hoc

Hoc est *tertium genus*, quando quidem doctrinae publicae capita rescinduntur atque omituntur. Ac iustae quidem abiiciendi causae duae maxime spectantur. Regnavit interdum ineruditum genus doctrinae illiberalis, in quam le- via superstitione, falsa temere, quaedam etiam cum periculo rei Clir. inculcata fuisse constat; alia e scholis advecta, cere- brum, non animum, ineptum capiendis rebus sublimibus occuparunt, alia e barbarie temporum enata et conservata tolerari aliquandiu debuere. Quae igitur sunt eiusmodi, ut in- telligantur per se iniqua et noxia: quis obsecro pro his item suscipiat contendatque non omittenda? Itaque *Lutherus* plu- rima repudiavit, quae videret publice quidem doceri et sta- tui, sed ab avaritia clericorum fuisse reperta, ad stabiliendum pontificis Romani fastum excogitata, molesta libertati, apta et grata barbariei ingeniorum et scientiarum, contraria anti- quae fidei, scripturis sacris, morum pietati. Neque enim reformatio sine immutatione doctrinae publicae tentari poterit. Multa quoque temporis et praesentis alicuius utilitatis causa fanciuntur, prouti loco, personis et coetibus existimantur congruere. Quemadmodum igitur in rebus publicis le- ges, quae pacis causa feruntur, bellum, quas bellum extor- quet, pax, quae sublevandae annonae causa statuuntur, abun- dans rerum copia abrogat et tollit: ita consentaneum est, omitti decreta religionis publicae, quibus haereses, vel conflictæ vel dudum emortuae, configi ac repulsari debuere. Anaba- ptistarum v. c. decreta propter seditionis periculum et com- munionis cum hominibus fanaticis et rebellibus suspicionem averti debuere ab Evangelicis; hoc isto tempore sapiens fuit et necessarium, nostro, sedatis tumultibus, non item. Simi- liter Calvinistarum clandestina studia cum periculo fa videren- tur ecclesiis Saxonicas, publicis decretis contra eos provisum est: iam sublata occasione, nihil mirum, si desit actio et de- cretorum vis diminuatur.

B 3

His

His quidem rationibus non dubito, quin mutatio induci possit. Neque me defendam ecclesiae auctoritate et consuetudine, cuius vis plurimum valet, sed rei ipsius utilitate ac pacne necessitate. Quisquis enim rem, ut decet et par est, expenderit sedulo, intelliget, religionem publicam fere semper coepisse a privatorum hominum opinionibus, decretis, finitionibus: horumne igitur studiis praeiudicari potuit reliquorum doctorum curis ac fidei? horumne iudicio stare fas est, hominum paucorum, ineruditorum, qui callida arte violentisque consilio decreta sua et sapientiam, invitis etiam Ecclesiis, obtrudere haud sunt veriti? Hinc, qui suis forte temporibus prospicerunt, futuris non modo iubere potuerunt sed et prospicere, quorum nec pericula nec reliquum statum cognoscerent vel subodorarentur? Hinc arma, quibus adversarios sive suos sive, si malis, Ecclesiarum impugnarunt, non memoriae cause, quod ferri potest, verum ad usum perpetuum, restituta etiam pace, contra umbras et manes haereticum commendare? Horumne artibus quia servile timidumque aliorum ingenium sese submisit, nos quoque cedamus? Ac supra diximus, scientiarum vicissitudines, temporum revolutiones, doctorum aut incitiam et negligentiam, aut studia et solertia, denique gentis rудis et barbarae culturam progressumque ad lucem et artes, non posse existere sine religionis aliqua mutatione; cum studiis semper et labi et restituvi doctrinarum chr. puritatem ac vel minui vel increscere notitias divinas, et frustra existimari, sic esse omnia omnibus ingenii et temporibus aptata et expolita, ut nihil restet. Nec vero possunt tam multae rationes excogitari, in specie aptae

ad

ad impedientiam mutationem, quin candidi homines in promptu habeant longe plures et graviores, ob quas mutatio tentari ac promoveri debeat.

Ac scio plerosque clamitare, ex his mutationibus pullulare subinde segetem pericolosissimarum contentionum, unde redundare plurimum mali ad Ecclesiam posset. Quid vero? Nonne periculis etiam Ecclesiarum obviam itum est, cum aut definiretur nova sententia, aut abrogarentur antiqua decreta et vulgaria? Nonne ortae per hominum acrum fervorem controversiae ac lites mutationibus doctrinae publicae aut compositae interdum sunt aut componi saltim debuere? Largiar itaque; non caret periculo mutandi conatus: itane vero salutaria instituta reformidabis ac opprimes propter aliquod discrimen? Ego vero putem, res tum maxime prudenter administrari debere, ubi periculum minetur, non abiici, et discrimen praeveniri sapientia vel mitigari temperamento, ubi evitare nequeas. Vnde vero turbarm et feditionum, quae timentur, pericula veniunt? Minime sane a plebe, placida omnino et paciente ac quieta, nisi subdola et turbulentia confilia accesserint, sed a concionatoribus, a magistris et reliquis multitudinis flabellis, quae concitant animos, ut exardescant, ut arbitrium de his rebus statuendi temere usurpent, ut clamant, et vel novarum rerum cupidos magno tumultu proscribant et calumnientur, vel antiquitatis fautores rideant atque opprimant. Quodsi autem sinceriter et modeste doceatur populus, ut vitia et lacunas doctrinae publicae, etiam sine admonitu et acerbitate invehendi in publica decreta, perspiciat,

ciat; si revocare a traditionis fideique πατριπαραχθον et prae-fulum auctoritate animum didicerit; si persuadeatur, nondum subverti fundamenta religionis et systema, ubi unam alteram-
ve partem concutias et avellas; si ea proponi et commendari iustis et evidenteribus argumentis convincatur, quae sunt cum religione conianctiora atque ad quietem animi pii et virtutis disciplinam conducibilia: non est dubitandum, quin pii et boni omnes animo alacri collaborent ad ea, quae sunt praestabiliora, amplexanda pacemque tuendam. Hic rursus ob-viertunt mutatione inducta parum reverenter de superiorum temporum fide et de meritis virorum eruditione ac prudentia illustrium existimari, et verendum esse, ne tarda videantur ea auxilia nec reprehensione careat, eos erronea, dubia, ambigua tantisper fuisse nec, quae reicula et perniciosa es-sent, non in ipsis quasi incunabulis repressisse. Verum ea autem mera supersticio est aut calumnia. Non est probitatis Christianae, servire opinionibus et decretis alienis, sed stuporis ac superstitionis. Ac sat magna existimatio et reverentia magnum, si quae extitere, ingeniorum cernitur, tum in animo grato, qui eorum solertiam, aequitatem, prudentiam, acumen, bene de ecclesiis merendi voluntatem et servorem laudaverit, tum in studio imitandi constantiam, qua curam emendandorum sacrorum capesserent nec deterreri sinerent se clamoribus eorum, qui nova, ita appellabant, dogmata, negarent ferenda, tum denique in iudicio et persuasione, eorum curis parata fuisse ingenia ad proficiendum, reiectam veritatem, sed minime exhaustam, istis temporibus optime consultum, non (nec enim potuere) posteris, denique probe

uti

uti magistrorum fide et materna institutione, qui coepit perficiunt.

Nostro quoque tempore, cum mutatio religionis publicae protestantium, quos vocaut, in capitibus quibusdam optaretur ac tentaretur, a nonnullis video, multos paci ecclesiarum publicae et privilegiis nescio quam calamitatem ominari. Qui metus valde inanis, nedum iniustus, videtur, non modo propter principum Evangelicorum potentiam, reliquorum autem aequitatem, quarum altera impetus iniustos satis praevalet, altera ne minabitur quidem, verum etiam propter ipsas leges publicas, quae profecto ideo non concesserunt pacem et privilegia principibus, quia addicti essent Augustanae Confessioni, nec ea lege, ut nihil in formula tum constituta immutarent: (hanc enim conditionem pacis tum Passavensis tum Westphalicae, confirmantis transactionem Passavensem, instrumenta ignorant): sed cum iis aetum est, qui tum propter societatem et foedus commune nomen Statuum Aug. Conf. tuerentur. Verum, ut pedem ab alienis campis retrahamus, videamus, tantum abesse ut iuri mutandi religionem publicam aut principes ipsi renuntiaverint, aut leges obrogaverint, quin utrorumque auctoritas omne periculum avertat. Illi quidem ne videantur in decretis suis velut in scopolu adhaerescere, primum optant, ut illis, quae adhuc utrinque in scripturis fecus tractata aut intellecta sunt, sepositis et correditis, res ad unam simplicem veritatem — reducantur (praef. A.C.) dcinde ea tan-tum confessione amplectuntur, quae hactenus in Ecclesiis tra-
stata essent (ibid.) et paratos sese asserunt latiorem informatio-

C

nem

nam exhibere (*Clavis A. C.*), denique novas definitiones per temporum opportunitatem et utilitatem in *Apologia*, *Articulis Smalcald.* et *Form. Conc.* nemine refragante, induxerunt. Leges autem quomodo iubeant in praesentibus subsistere et constituta fide sese continere, quae et ius reformandi concedunt principibus et, si quae imposterum constituentur, iis aequale cum superioribus decretis ius liberalissime provident? *) Hanc itaque legem quis violare existimandus est? utrum is, qui libertate utitur et, prout congruens iudicat et consentaneum, doctrinas vel ritus nova ratione constituit, an potius is, qui, quo minus immutetur aliquid, prohibet temere et impedit? Profecto legis custos est, qui libertate legitima utitur: nec excidit privilegiis legum, qui eorum liberalitate adiutus, quod aequum et utile arbitratur, statuit.

Sed ego hic omnia sperem pericula evitari et reprimi modestia, gravitate et constantia, quae abstinet a violentis consiliis modumque servat lenitatis et verecundiae, quam et rerum gravitas et maiorum reverentia iure suo postulat. Is quidem modus naturae congruit, quae leniter, tacite ac sine strepitu et prope sine sensu innovat vel maxime et corrigit, quae non bene habent, et ipsius Christi ac Apostolorum exemplum gravissimum imitatur. Ac Iesus, *κανεις διαθηκης* autorum

*) *Constit. Passav.* §. III. — So sollen die Kaiserl. Mai. wie auch Churfürsten, Fürsten und Staende keinen Stand des Reichs — von dieser A. C. Religion, *Glauben*, Kirchengebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgerichtet oder nachmals aufrichten möchten; dringen. v. et §. VIII.

nam omnem curam egit, ut explicatus et copiosius traderet veterem disciplinam, maluit auditores eo ducere, ut sponte et sine admonitu patriam traditionem repudiarent, quam ipsos errores proscribere: deinde non subito novavit orbem nec praecepit ingenia, sed, quia difficillimum est, ex hominum mentibus revellere, quod a pueritia et publico maiorum consensu tenuere, multa tempori reliquit innovanda, perficienda, et propaganda. Veritas nova lente et tacite serpit et tandem vires ingentes accipit atque ex omnium mentibus errores deturbat. Itaque Christus επιγνωστις latenter quaedam in scholis των μαθητων proposuit, quae publice reticuit, ne intemperata doctrina turbas daret, voluitque expectari, dum semina veritatis aucta per plurimorum annorum provenfum, largam segetem promitterent essentque auditores ad omnem religionem tenendam formati. Id quomodo Lutherus imitatus sit, qui sensim abiecit veterem superstitionem et Ecclesiam repurgavit, satis prolixo et ingenuo exponi coepit ab Autore libri, *Ueber die Entstehung und Verlauf des protest. Lehrbegriffs*, (Lips. 1781). qui legi et absolvi meretur. Ad hoc exemplum lenitatis et prudentiae, quod si omitti quaedam et repudiari decet, quae aut dura nimis aut minus accommodata temporibus essent, primum tentandum est, ut ea benigna interpretatione emolliamus, post situ et senio patiamur emori; si addere alia et exponere luculentius, in id incumbendum, ut haud imparatis tradantur nec sine perspicua et veritatis demonstratione et utilitatis significatione, quorum alterum erroris suspicionem avertit, alterum offenditionem novitatis in animis semovebit.

Iungatur modestiae et lenitati prudentia, quae novas, ne offendant, opiniones cum veteribus decretis componit, ut videanur non immutare aliquid sed latentem quasi ex antiquis et publicis dogmatibus veritatem protrahere. In qua legum ci-vilium artifices Romanos aemulari decet. Iustinianus quidem, qui unus plura novavit in legibus, quam ceteri Imperatores cuncti, tamen summo studio elaboravit, ut ea quae constituit, non multum deflectere a iure antiquo aut etiam congrua eidem atque consentanea viderentur. Similiter Praetores, cum leges mutarent edictis suis, semper tamen simularunt, se ius receptum magis confirmare. At non opus est aliunde protrahere imitationis exempla, cum in ipsa religione christiana eam civilitatem et prudentiam gravissimi magistri commendent. Est enim illa comitas in primis efficax, ad illabendum animis hominum. Eo consilio *Paulus dum Athenienses studet ab inveterata superstitione revocare, Cutar Erasmi verbis, in ratione verae theol. p. 95. ed. nuper. Semler.*) non protinus sic ingressus est: *Insanitis, Athenienses, daemonia scelerata pro deo colitis: sed narrat, quemadmodum novus hospes cognoscendi studio obambularit, contemplaturus, quos ritus, quodue religionis genus sequentur: ilorum profana simulacula σεβασμata vocans, anci-piti verbo, quod et in signa dei ac divisorum quadret.* Porro cum non posse, et publicis etiam legibus vetari, ne quis peregrinas religiones inveheret, mira commoditate decerpitam inscriptionis partem religionem, inquit, ignotum quemdam Deum a vobis coli, vestrae testantur aiae. *Colite posthac notum, quem coluistis ignotum.* Ac

mon.

mox sermonem suum confirmat non testimonio prophetarum, quo-rum levis erat apud Athenienses auditoria, sed Arati, poetae graeci. — Postremo christum non protinus deum vocat, sed virum per quem statuisset Deus orbem restituere. His quidem praefidiis Paulus avertit novitatis suspicionem et pericula et securitati doctrinae, adhuc ignotae, prudenter cavit. His praefidiis pervicaciam Iudeorum superavit, commode monstrans, Mosaicorum institutorum et propheticorum oraculorum involucris novam doctrinam contineri. Hoc consilio plurimi doctores Christiani inde a *Tertulliano, Iustino, Clemente Alex.* nihil novi in doctrina chr. esse profitentur, quod non fuerit inter gentes philosophorum et poetarum scriptis traditum atque expositum. Neque vereor, si quis imitari hanc calliditatem cupiat, ne fictionibus opus sit et fraude ac detorsionibus, cum doctrinas novas a decretis publicis non multum discrepare commonstrandum est, dummodo historiam teneat et ea magistra vim et consilium formula-rum, symbolicarum maxime, definiat. Hac via didicimus, quid-quid nostri hodie de peccato originali, de arbitrio libero, de ope-rationibus gratiae statuunt, id, quanquam novis formulis et orthodoxarum aurium offensivis tradunt et longe aberrare a publica doctrina Ecclesiarum evangelicarum videantur, tam-en si rem potius, quam verba et formulas instabiles perse-quaris, iisdem apte congruere. Sed haec persequi ulterius non est huius disputationis et instituti. Vnum restat, vt ad-moneamus eos, qui nova substituere antiquis magistrorum popularium decretis voluerint, ut his sapienter parcant ea-que, si vel a veritate aberrantia videantur, instruant, quo facilius melior doctrina animis inhaerescat. Nullus quidem unquam tam gravis error est, quin in eo veritatis semina latenter contineantur.

Reli-

Reliquas, quae ea res habet, cautiones non attinet. e superiori disputatione repetere; nam eas res ipsa praescribit et ratio commendat, ut nihil tentetur, nisi doceri possit, quomodo novitas aut gravibus erroribus occurrat, corruptelis medeatur, turbarum ansam praecidat, aut animum, veritatis cupidum, collustret et acuat ad virtutem; ut mutatio, si quam induci optabile est, secum ferat novas utilitates, quae non sunt in opinione inani sed rei veritate probentur; ut, qui veterem usum probant et conservant, libenter et modeste audiantur ac indulgeatur imbecillitati humanae, qua non modo acria et servida ingenia, verum etiam ignava, quamquam diversa ratione et effectu valde contrario opprimuntur; nam nemini ita cautum est ab errore ut nunquam labatur; denique ut cum doctrinae publicae capita aut illustrantur aut repudiantur, in singulis subsistat diligentia et cura nostra, neque universum religionis publicae aedificium evertat per intemperantiam et libidinem. Et enim saepe per temporum opportunitatem facilissimo negotio expedita et correcta videamus ea, in quibus emendandis superiorum temporum studia frustra laborarunt nec magnas et utiles conversiones, ut rerum publicarum, ita scientiarum et religionis omnis aetas fert, quas non nimis frequentes esse, nisi omnia everti nihilque stabile et diuturnum teneri patiaris, ipsa natura magistra iubet.

Haec fere habuimus, quae de mutatione religionis publicae hoc tempore disputaremus, in quo non ignoramus esse plura; de quibus in hanc partem dici possit; non modo in mutatione publice tentanda (qui locus omnis a nobis omissus est) verum etiam in privatis ausibus et iudicio de conatibus mulitorum, qui antiquare decreta alia, alia in veterum locum substituere suadent. Sed hoc a confilio meo alienum fuit. Atque si quis, quae superius tradita sunt, voluerit expendere, facile, quid a nobis probetur atque etiam curis nostris promoveatur, quid reprobare et aversari atque ipsi cavere cūpiamus, discernet ac quibus prodeesse hac huius causae actione voluerimus.

